(a) SI CRIMINI CERTA POENA EST A *legibus constituta, eam judex irrogare tenetur.*

Ferrea cùm primùm reliquis succederet ætas,
Pulsa loco, fraudi cessit, avita fides.
Hic hominum generi Divos (persæpe misertos,
Nunc quoque propitios) consuluisse ferunt.
Certa magis semper certis tormenta dederunt
Criminibus, regi non varianda suo.
Audeat & nostrûm quisquam decreta Deorum
Arbitrio temere posthabuisse suo?
Scilicet integrior sancita lege voluntas
Iudicis, in varios sæpe reflexa dolos.
Morte reum multare jubet Lex justa: severa est
Illa nimis, precio mansuefacta silet.
Verbera Lex, judex, contempta lege, securim
Imperat, iratæ non leve mentis opus.
Non tam celsa placent tua Romule mœnia plebi,
Quàm Lex legitimi relligiosa fori.
Sed neq; Lex populo quicquam, neq; mœnia prosunt,
Cùm sedet in medio carnificina foro.
Si qua severa nimis veniam meret actio, legi
Id tribues, legi si qua remissa meret.
Quod malè fit, legi malè fit, sibi conscia damni
Ipsa sui, judex criminis æqua foret.

(b) VENDITOR IN RE VENDITA CAE- teris creditoribus non præfertur.

Vendiderat Sejo sua prædia Titius, emptor
Pro certo incertam cùm daret ære fidem.
Iamq; simul fidei Sejus rerumq; suarum
Naufragium medias fecerat inter aquas.
Creditor ire frequens cœpit per prædia, qualis
Desertum esuriens lustrat ovile lupus.
Titius hic; Mea sunt, sunt hæc mea prædia, clamat,
Emptori precio non sua facta suo.
Cætera turba negat: Nobis quoque partibus æquis
Distribui recti conscia jura volunt.
Nam tuus hic Titi, qua primùm venditus hora,
Sejo cessit ager, desiit esse tuus.
A nobis res nostra etiam malè credita Sejo est,
Et sumus in simili conditione pares.
Quantò major erat pars æris debita, tantò
Hîc etiam fundi pars tibi major erit.
Omnia si cupias, nobis injuria fiet:
Isto non unquam sors erit æqua modo.
Quisque suo paulùm summo de jure recedat,
Divisus facile cætera reddet ager.
Dixerat: invitus (quondam sua) prædia linquit
Titius; id tandem cogere jura videt.